



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marii Mercatoris S. Augustino Æqualis Opera Quaecumque Extant

[Complectens Ea Quæ Ad Hæresim Nestorianam Spectant]

Marius <Mercator>

Parisiis, 1673

Caput XXXVI. Quomodo intelligitur Theotokos Virgo sancta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14215

enim ex utroque intelligitur Christus. Ergo inconfusione, ut ante dixi, servata, inhabitasse Verbum ait in nobis: scit enim unum esse Filium unigenitum carnem factum, & hominem.

ἃ ἐξ ἀμφοῖν νοήται
Χριστός. ὁμοῦ τὸ ἀ-
σπληγῶν δὲ μέγετε-
τηρησάμενος, φησὶν, ἐν ἡμῶν
ἐνα ἃ ἵδὼν εἶδε μονο-
γενῆ ἃ Ἐρῆα ἡμετέρον,
ἃ ἐνα, δεσποτικῶς κα.

sunt. At quomodo & in singulis, & in omnibus totus sit, intellectu dictuque difficile est, imo vero etiam impossibile. Id autem, ut opinor, eo possidet, quod incorporeus sit & indispertibilis.

Proprium autem Verbi corpus dicitur a nobis: non quemadmodum proprius est hominis risus, vel equi hinnitus; sed quod, factum ipsius per adunationem veram, instrumenti ei praebeat officium, ad exequendum ea, quae more solito operatur, absque solo peccato.

Sin vero Deus Verbum etiam missum fuisse forte dicatur, ne quis vestrum terreatur, illud cogitans, quo perget incorporeum, vel quo cedit is, quo plena sunt omnia? Sciat autem magis, quod sit & alius missionis modus. Non ut locum de loco, qui mittitur, mutet; sed ut ministerium magis sacrum suscipiat, quod etiam discipulis injunctum esse discimus a Christo omnium salvatore.

Denique etiam divinus Paulus ait de Christo: Ergo, fratres sancti, vocationis caelestis participes, considerate apostolum & pontificem confessionis nostrae IESUM. Animadverte autem, quod, cum cum ministrantem hominum more ostendit, licet natura sit Deus, tunc ei etiam officium apostolatus attribuit: nihil autem, ut ante diximus, absurdum est, si Deus Verbum mitti etiam dicatur a Patre; implet namque certissime omnia, & nulli loco penitus deest: nos vero humanis vocibus divina interpretantes, figurationibus corporis immortalis naturae dispensationem solemus intelligere.

Denique cum sanctus Spiritus omnia impleat, scribit beatus Paulus, & dicit: Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, in quo clamamus: Abba Pater. Ait autem & ipse Salvator: Expedi vobis, ut ego eam; nam si non abiero, paracletus non veniet ad vos. Oportet igitur ad rationem pietatis omnia referentes, certa cogitatione sectari: id enim facientes nobismetipsis maxime profuerimus.

* Quae sequuntur, usque ad lucam Iacobi cum Angelo eaque verba, cap. xxxi. latitudinem femoris ejus, desunt in editionibus vulgaribus, & nunc primum eduntur.

* Carne autem mihi videtur divinus Evangelista, totam sapienter naturam hominum nominare: ait enim Verbum inhabitasse in nobis, non alterius, ut ego opinor, gratia, incarnationem Verbi factam esse, commemorans, nisi ut etiam nos, participatu ipsius per Spiritum sanctum locupletati, adoptionis beneficium lucraremur. Igitur in Christo unitatem summam veramque credimus factam. Sin autem in nobis Christus inhabitare dicatur, angelus ipse faciet inhabitationem. Non autem cum Deus dicitur inhabitasse in Christo: Inhabitavit namque in eo omnis plenitudo divinitatis corporaliter; non per participatum, vel gratiam simplicem, quasi sole illucente, aut igni insitum sibi calorem aliis immittente; sed, ut ita dicam, ipsa divina sinceraque natura, juxta totum id quod est, inhabitationem sibi faciente, per veram, ut ante diximus, unitatem, in templo quod est natum ex virgine: ita enim unus, & est, & intelligitur CHRISTUS IESUS.

Quod vero in expressionum summa noster sermo vincatur, non negabo; sed non idcirco Christi mysterium non credatur; sed magis sit merito mirabilis. Quanto enim omni est mente superius & sermone, tanto magis ultra omnem admirationem ponendum est.

Carnem vero factum Verbum, id est, hominem perfectum, non dicimus, mensura corporis comprehendi, id enim ineptissimum est; sed implere sic quoque credimus, sicut solet, caelum & terram, & quae inferius posita sunt: omnia etenim plena sunt Deo, & omnia ipsi parvula

Apud Photium Xv. 1.

CAPUT XXVI.

Quomodo intelligitur Θεοτόκος Virgo sancta.

NATUM est quidem inestimabiliter Verbum Dei & Patris; & haec generatio omnem sensum cogitationemque transcendit, & est incorporali naturae conveniens. Verumtamen id quod natum est, proprius partus intelligitur genitoris, &

eiusdem cum eo substantiae; ideoque etiam filius nominatur, nomine scilicet indicante veram sinceramque progeniem; sed cum sit vivus in aeternum Pater, necesse est, eum quoque vivere in aeternum, propter quem est Pater. Igitur in principio

Hebr. 3. v. 1.

Gal. 4. v. 6.

Joan. 16. v. 7.

Joan. 1. v. 7.

erat Verbum, & Deus erat Verbum, & erat etiam Verbum apud Deum, vt sapientissimus Evangelista commemorat. In consummatione autem temporum, propter nos homines, incarnatum est, & homo est factum, non amittens quod erat, sed retinens inconvertibilem suam naturam, & semper in divinitatis fastigio collocatam; suscipiens tamen propter nos dispensatorie exinanitatem; * nec inhonorans pauperiem, quæ humanæ naturæ convenit: nam cum esset dives, pauper est factus, sicut scriptum est: *ut nos paupertate ejus divites essemus*. Factum est igitur homo, & generationem ex muliere passum dicitur. Igitur propterea quod ex sancta Virgine vere sibi adunatum corpus accepit; inde Θεοτόκον esse dicimus Virginem sanctam, quia id humane, sive secundum carnem peperit, licet haberet ante sæcula generationem ex Patre.

Opinari autem nonnullos Verbum hinc initium fuisse sortitum, cum homo sit factum, impietatis est furorisque plenissimum. Eos etenim insipientissimos esse, monstravit ipse Salvator de se dicens: *Amen dico vobis, antequam Abraham esset, ego sum*. Quomodo enim aliter ante Abraham erat, qui multis post temporibus secundum carnem natus est? Satis autem ipsos, vt opinor, redarguet divinus Joannes dicens: *Hic erat, de quo ego dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat*.

Prætermitentes igitur in re tam frivola sine causa certare, ad illud magis veniamus, quod etiam emolumenti aliquid possit asserre, ne moleste ferant nonnulli audientes, esse sanctam Virginem Θεοτόκον, nec incredulitatis Judaicæ suas oppleant mentes, imo vero etiam paganicæ impietatis. Judæi etenim aggrediebantur Christum dicentes: *De bono opere non lapidamus te: sed de blasphemia, quod cum sis homo, facis te Deum*. At vero filii paganorum Ecclesiæ dogmata derident, audientes ex muliere Deum esse progenitum; sed illi quidem suæ dementiæ exedent

fructus, & audient a nobis: *stultus stulte loquitur, & cor ipsius vana intellet*. Nostri enim mysterii ratio, licet Judæis sit scandalum, gentibus autem stultitia; nobis tamen, quod scimus, vere est admirabile, & salutare, & dignissimum credi: & si esset omnino quisquam, qui dicere aude- ret, hanc carnem terrenam nudæ divinitatis fuisse genitricem, & ex ea creatura omni superiorem natam fuisse naturam, infania id esset & furor. Neque enim ex terra divina est facta natura; nec corruptibile incorruptionis radix vnquam fiet; nec mortalitas pariet vitam; nec corporis tractabilis incorporale fiet germen; nec increatum a creato nascetur; nec quod absque initio, ab eo quod habet initium.

Verum quoniam Dei Verbum juxta nos factum esse affirmamus, & nostris corporibus corpus sumpsisse consimile, idque sibi verissime adunasse, arcana inenarrabili ratione, & sic hominem factum carnaliter natum esse, quid absurdum est, vel quod credi non debeat? Cum præsertim hominis anima, vt sapissime diximus, cum sit naturæ alterius præter corpus, nascatur tamen cum ipso, cum sit ei adunata, nec quisquam arbitretur naturam corporis animæ initium præbere substantiæ; sed immitit quidem ipsam inæstimabiliter Deus in corpus, & cum ipso etiam nascitur: vnum tamen ex vtroque animal definimus, hominem scilicet. Igitur Verbum quidem Deus erat, factum est autem & homo, & quia natum est secundum carnem, propter humanitatem necessarium est, vt quæ ipsum peperit, sit Θεοτόκος: nam si non peperit Deum, certe nec dicitur Deus, qui est ab ipsa progenitus; sin vero Deum ipsum divinæ scripturæ nominant, peperit ipsa Deum hominem factum, siquidem homo aliter fieri non posset, nisi per generationem ex muliere. Quomodo igitur non sit, quæ ipsum peperit, Θεοτόκος. Quod autem Deus sit verus, qui natus inde est, ex divina scriptura discimus.

CAPUT XXVII.

Dicta de Christo.

Isai. 7. v. 14. juxta Matth. & Cyrilli interpretationem.

ECCE Virgo in utero accipiet, & pariet Filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel. Quomodo ergo id quod natum est ex sancta Virgine, Emmanuel nominatur, cum Emmanuel, vt ante dixi, significet in nostra natura propter carnem fuisse Verbum, quod est Deus verus de

Deo vero? Sed factus est Emmanuel: exinanivit enim se, generationem nostram & similem passus, ac sic nobiscum conversatus est. Ergo & Deus in carne, & Θεοτόκος vere est, quæ eum carnaliter, sive secundum carnem generavit.